

1365. d. 7. Junii.

Ex Historia Miechov. Natel.

201.

45

Philippus misericordie divina patriarcha Hierosolymitanus, venerabili viro priori et dilectis in Christo filiis, capitulo ecclesie nostre Hierosolymitane Perusii degentibus. Salutem in eo, qui pro redemptione humani generis elegit Hierosolymis crucifigi. Nuper ex parte prepositi et fratrum ecclesie nostre sepulchri Domini Miechoviensis Cracoviensis diocesis ordinis sancti Augustini, nobis expositum extitit conquerendo. Quod licet ipsi cum membris suis, soli sedi apostolice et nobis subiaceant, et a quibuscumque aliis per speciale dictae sedis, per eos nobis ostensum, privilegium, sint exempti. Vos nihilominus ipsis gravia onera imponere, eos citare, et vocare, ac molestare, coram vobis saepius non cessatis, sententias excommunicationis, et alias ecclesiasticas censuras, in eos, cum vobis non obediunt, promulgando. Nos igitur considerantes, nulli licere falcem suam in messem ponere alienam, quodque si ipsi prepositus et fratres, penes sedem apostolicam, et dominam nostrum papam, super premissis, de vobis quarelam deponerent. Idem Dominus noster papa hoc moleste gereret, vosque haberet perinde minus gratos, quod nolemus. Auctoritate itaque nostra patriarchali, premissa de cetero per vos fieri omnino prohibemus: decernentes, quodcumque per vos in contrarium attentatum fuerit, irritum et inane, et nullius, prout est consistere firmitatis: nisi postquam iustam causam in contrarium si quam forte habe-

atque
Monastica.

Liwowski.

atque, coram nobis duxeritis allegandum, et
eam, ut iustam nos duxerimus allegandam.
Datum Avioni sub sigillo nostro patriar-
chali, die septima mensis iunii, anno Do-
mini, millesimo tercentesimo sexagesimo
quinto.